DE CAUSO HIPPOCRATIS ET ARETAEI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS HISTORICO-MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXX. MENS. APRILIS A. MDCCCXXXVI.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JOAN. FRID. LANGE

POSTAMPIENSIS.

OPPONENTIBUS:

JUL. BAUM, MED. ET CHIR. DR.
ALEX. DITTMAR, MED. ET CHIR. DR.
G. WESCH, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

Ἱπποκράτης φάος ἦν μερόπων καὶ σῶετο λαῶν
ἔθνεα καὶ νεκύων ἦν σπάνις ἐν ἀΐδη.

Anthlog. Graec.

VIRO

AMPLISSIMO, DOCTISSIMO, HUMANISSIMO

D. A. BARTELS,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICINAE IN UNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICA GUILELMA PROFESSORI P. O., REGI A CONSILIIS MED. INTIMIS, INSTITUTI MEDICI DIRECTORI, MEMBRO DEPUT. SCIENT. PRO RE MEDICA, ORD. REG. DE AQUILA RUBRA IN CLASSE TERTIA ET HASSIAC. ELECTORAL. ORD. DE LEONE EQUITI, COMPLURIUM SOCIETATUM LITTERARIARUM SODALI ETC. ETC.

PRAECEPTORI OPTIME DE SE MERITO,
FAUTORI SUMME VENERANDO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Lectoribus criticis et non criticis!

Praefationem scriptis suis praemittere, mos est usitatissimus, quem clarissimi quique auctores secuti sunt atque sequuntur. Nec inepte hoc fieri, quisquam dixerit, quum e praefatione sola saepissime jam conjicere liceat, quidnam de libro ipso sit exspectandum. Praeterea per praefationem totius libri summam et complexum nos docere in animo habet scriptor. Igitur plerisque in praefationibus nihil aliud invenitur, nisi cur scriptor aliquis illam ipsam, quam in libro suo tractaverit materiam, sibi elegerit caeterisque praetulerit; ut breviter dicam, libro ipsi defendendo praefatio inservire debet. Horum in numero me quoque versari non pudet. Juvenis enim adhuc medicinaeque elementis vix imbutus, quum ad doctoris dignitatem mihi acquirendam libellulum conscribere tempus esset et necessitas, diu cogitabam diuque haesitabam, quamnam ei subjicerem materiem, quamnam mihi

sumerem paucis illustrandam rem. Observationes physiologicas, therapeuticas, chirurgicas similesque propter juventutem experientiaeque defectum proponere non licet; igitur ad historicam medicinae partem animum contuli, de qua nuperrimis hisce diebus tam egregie meritus est Illustrissimus *Hecker*. Errant qui nova apud me inventum iri credant, et multum etiam abest, ut novi quidquam praebere mihi arrogem. Ad nova enim praestanda et facultates et tempus vix sufficiunt, vixque ad scribendum accessissem, nisi necessitate coactus. Jam multo postquam opusculum erat conscriptum, in manus mihi incidit *Ploucqueti* bibliotheca, in qua multos de morbo nostro nominari vidi scriptores. Sed nullius eorum librum legere potui, quia non inveni, et doleo nunc, quod post tot et tantos viros ego nunc tale opus aggredi sim conatus. An criticorum judicio opusculum meum sit probatum, valde equidem dubitaverim. Sed cogitent quaeso, qua premebar, necessitatem et temporis angustias aetatemque juvenilem, et fortasse tum minus severi erunt judices. Ceteri autem lectores, si qui aut discendi cupiditate aut curiositate aut alia causa ducti pagellas paucas dissertatiunculae pervolvere dignantur, ne nimis cito eam seponant, sane est quod timeam. Sed

„urget dira necessitas“.

Valete!

Morbus, quem sum descripturus, quemque sub nomine καῦσος apud ***Hippocratem***, ***Galenum***, ***Alexandrum Trallianum***, aliosque, etiamsi non semper sat clare descriptum legimus, neque rarus neque ignotus huc usque est morbus, qualis habendus est morbus cardiacus, quem nuperrimis hisce diebus viri clarissimi ***Hecker*** et ***Seydlitz*** illustrarunt; neque igitur horum ingeniorum exemplo ad morbum novum pertractandum, animum applicare conabor. Sed quum sub nomine dissertationi meae inscriptae sine dubio plures apud illos scriptores occurrant morbi, qui, quamquam inter se similes, tamen non ejusdem sunt characteris significationis, non ineptum mihi visum est in ordinem quendam eos redigere et quid de variis hujus morbi apud varios scriptores descriptionibus sentiendum sit, pro viribus, exponere.

Καῦσος, quod ***Celsus*** (de medicina) per: ***febrem ardentem*** vertit, a verbo καίω, ut febris a: ***ferbeo***,

ferveo (καῦσος, apud Henischiob. edit. Aretaei, August. Vindelic. 1603, ἀπὸ τοῦ καύσεως, i. e. ab igne et perurente calore, qui hunc morbum prae aliis maxime infestat) duabus praecipue significationibus usurpatur, aut generali aut speciali. Primo sensu quamcunque febrem cum vehementi calore significat; omnem igitur majorem cujusque febris vehementiam, et nonnullis e locis et apud *Hippocratem*, et apud ceteros nominatos scriptores apparere videtur, interdum hoc sensu καῦσον apud eos usurpari. Tamen, etsi apud *Hippocratem* ipsum doctrina haecce est confusa, inordinata et indefinita (ut latinis *Galeni* verbis utar εἰς τὸ Ἱπποκράτεος, περὶ διαίτης ὀξέων νοσημάτων pag. 700 edit. Kuehn.) tamen certis quibusdam locis, morbum peculiarem significari, omni dubio vacat, nec recte sane fecisse videtur *Le Roi* (apud Burserium institut. med. Tom. I. §. LV.), qui vehementiorem tantum gradum cujusdam febris, non peculiarem febrem hac voce significari vult, eodemque modo *Ochs* (de curanda febri typhode pag. 20) putat, ita omnes morbos appellatos fuisse, in quibus sine partis alicujus insigni affectione febris symptomata: ardor, sitis et gravitas extremitatum ex coenaesthesi male habenti exsplendescerent. Nimis autem apud patrem medicinae sunt loci, in quibus καῦσος cum aliis morbis simul nominatus, sententiae nostrae favere videtur, morbum esse peculiarem. Quorum ex multitudine unum tantum afferre licebit περὶ παθῶν pag. 104 ed.

Kuehn. *τὰ δὲ πλευρῖτις, περιπνευμονίη, καῦσος, φρενῖτις ϱ. ϱ. αὗται καλέονται ὀξεῖαι.* Qui vero loci maximi sunt momenti ad morbum nostrum describendum, leguntur in libro de victus ratione in morbis acutis cap. XXXIV. edit. *van der Linden*, et ejusdem scripti lib. II. cap. LXI. Quos si comparaveris cum paucis aliis hic illic sparsis, hanc fere morbi imaginem *Hippocratis* nobis proponere elucebit:

Statim ab initio febris prehendit acuta, lingua fit aspera, *χλωρή*, sicca et admodum nigra, alvus turbulenta, dejectionesque crudae, liquidae, lividae et pallidae (*ὤχραί*); urinae rubrae et *χλωραί*, oculi *χλωροί*; etiam sitis urget vehemens, et vigiliae, interdumque mentis alienatio; color cutis est aliquantulum biliosus, sputa multa et biliosa. Exterioribus partibus aeger perfrigescit, interioribus vero calet; partium ad ventrem sitarum dolores incerti. Corpus quam maxime afficitur et dolet, timores, tristitiae, anxietas. Saepe e naribus sanguis stillat. Aliis in casibus secernitur bilis multa, et juxta splenem tumor rotundus. Leniter quidem incipit, in totum vero leniter invalescens, diebus criticis plerumque atrocius instat, magis magisque in deterius procedens. Febris quantulum subinde quidem intermittens, celeriter tamen recidiva.

Exacerbationes plerumque diebus paribus. Circa exacerbationes oblivio, exsolutio, vocis privatio. Extremitates pedum et manuum semper frigidiores, prae-

sertim circa exacerbationes, et rursus tarde ac non bene recalescunt, rursumque intelligunt et loquuntur. Parum in fronte et claviculis sudant, nullusque per totum corpus est sudor. Augescente vero morbo omnia symptomata pejora fiunt et sudores diutissimi frigidi, neque amplius extrema recalescunt, sed livida et subfrigida manent; non sitiunt; praeterea sunt nigrae: urinae, tenues, paucae, aliis in casibus multae, nihil neque judicatorii (κρίσιμον) neque boni habentes; alvique sistuntur, nec erumpit e naribus sanguis, neque his, quibus haec contigerunt, sed parum stillarunt, neque reversio ulli horum facta est, at sexto die cum sudore moriebantur. Crisis autem hujus febris fit per urinas, aut etiam per alvi ejectiones biliosas, aut sanguinis e naribus fluxum, aut per sudores criticos cum urinis albis et crassis ac subsidentibus laevibus aut vomitum, mulieri vero etiam per menses. Alias quas facit crises, non tam sunt frequentes e. c. coxarum et genuum dolor, aut abscessus circa collum vel aurem, tumor testiculi (ὀρχὶς ἐνταθείς).

Morbus est acutus (ὀξεῖα νοῦσος) et ad τοὺς ἐνδοιάστους numeratur, i. e. tales, in quibus prognosis dubia est; brevissimus quidem nona aut decima die, longissimus autem decima quarta die dijudicari solet. Bona quoque sperare licet, si aeger facile morbum fert, si jactationibus corporis abstinet. Si quinto die vel omnino ante septimum diem morbus regius et sin-

gultus accedit, etiamsi alvus ruperit, lethale est; sin vero desinente febri ardente accedat morbus regius, bonum est; itidem fluxio sanguinis ex naribus quarto die mala est; die autem critico, bona. Etiam subitus horror (ῥίγος) morbum solvit. Solet etiam in peripneumoniam transire, quo in casu plurimi pereunt. Nimirum jam debiles existentes et morbo alio vero insuper accedente, dies transigere nequeunt, donec sputum in pulmone coquatur, igiturque prae debilitate moriuntur; aliqui tamen evadunt. Transitus etiam fit ex pleuritide in febrem ardentem, nunquam vero ex peripneumonia febris ardens fit. Febris ardens corripit praecipue biliosos, corripit tamen etiam pituitosos. Praecipue si aestas pluviosa fit et austro multum perflatur (in libro: de aëribus, aquis, locis) similisque sequitur autumnus, necesse est hyemem saevam esse, et his, qui pituita abundant, et qui annum quadragesimum jam excesserunt, febres ardentes fieri verisimile est. Aestate vero etiam et angina et tussis etc. et febres continuae et ardentes et tertianae plurimae oriri solent. Juvenibus praecipue haemoptyses, phthises, febres acutae accidere solent, qui vero hancce aetatem jam superarunt, in asthmata, pleuritides, peripneumonias, phrenitides, febres ardentes, diarrhoeas chronicas etc. potius incidere solent. Febres ardentes in aestivis frequentiores sunt, quam aliis temporibus. Oriuntur autem, quum aestivo tempore venulae resiccatae, acres et

biliosas ἰχῶρας (tenues humiditates secundum Foesium oecon. Hippocrat.) ad se attraxerint. Magna ex parte autem oritur ex longa via, longaque siti.

In hac febri conducit (περὶ παθῶν XI.) frigefacientia adhibere et ad alvum et forinsecus ad corpus, cavendo ne inhorrescat; potiones quoque et sorbitiones dandae sunt frequentes et paulatim quam frigidissimae. Venter autem curetur. Etsi quidem non abeant quae insunt, infusa frigidissima per clysterem immittantur, aut quotidie aut alternis. Sin vero cum peripneumonia febris ardens complicata est, aquam de crassa farina, et acetum album, quam odoratissimum postea bibere oportet, et ptisanae succum bis per diem; sin vero debilis homo est, ter; et vinum vinosum album, aquosum insuper bibat, et quam minimum lavet. Verum in morbo acuto venam secabis (de victu in morbis acutis XXXV), si vehemens appareat morbus et qui ipsum habeant, in vigoris aetate fuerint, et robur ipsis fuerit. Frigefactorias potiones in febribus ardentibus, quando voles, bibendas dato. Quarum tamen, quum aliae magis diuresin augeant, aliae alvum cieant, aliae utrumque, aliae neutrum, videndum erat, quaenam ex his cuique conducant. Imaginem hoc modo ob oculos ponere tentabimus, quam tamen ad unum eundemque morbum referri posse, vix quidem credibile est. Hoc quidem jam nemo, puto, negaverit, febres esse natura biliosas, quas sub voce καύσου, intelligi vult *Hippocrates*. Linguae enim, urinae, alvi

qualitas, multaque alia symptomata huic opinioni quam maxime inserviunt. Clarissimus quidem *Berndt* (Fieberlehre Tom. I. pag. 392) sub *καύσῳ*, inflammatoriam tántum febrem biliosam intelligendam putat; dubito tamen, an res se ita habeat, et caeterorum quoque characterum febres biliosas ab *Hippocrate* ita nominari, mox apparebit.

Quoad typum hujus febris, jam *Riverius* (libr. XVII. sect. II. cap. 2), etsi sub titulo de febribus putridis morbum huncce tractavit, pro febri tertiana continua eam declarandam esse putavit, eumque in verum seu exquisitum et spurium, illumque rursus in synochum ardentem seu biliosum et febrem ardentem periodicam dividit, quorum prior a principio ad finem unicam duntaxat accessionem habet, altera autem plures in se continet accessiones. Ex *Hippocratis* descriptione ardentem periodicam fuisse verisimile est, cum typi continentis indicia plane desiderentur. Etiam apud *Burserium* (Institut. med. I, 422) sub nomine tertianae continuae causus tractatur, a qua per calorem tantum urentem et sitim inextinguibilem esse distinguendum putat.

Ceterum duae illae causi species, quae inde a *Galeni* temporibus apud omnes fere post *Hippocratem* scriptores occurrunt, etiamsi apud *Hippocratem* commemorentur, tamen accuratius, neque distinguuntur, neque describuntur. In libro quidem de victus ratione in morbis acutis XXXV. edit. *van der Linden*

καύσου γένος ἄλλο. Ἡ κοιλίη ὑπάγουσα, δίψης, ἐστὶ μέστη, γλῶσσα τρηχείη, ξερὴ ἀλυκώδης. Ex toto hoc loco si cum aliis comparaveris, in quibus alter causos depingitur, nihil aliud inter eos differre conjiciendum puto, quam in causo hocce characterem magis inflammatorium exsplendescere. Lingua enim aspera, sicca, *ἀλυκώδης* (nigram, qualem aliis in locis, auctor eam non vocat), quid aliud sibi velit, equidem non video. *Galenus* sub hac imagine *καῦσον νόθον* seu spurium descripsit, tanquam *καῦσον* diminutum et non exacte absolutum, cui ex legitimis symptomatibus nonnulla insunt, alii vero non (Tom. XV. pag. 755 edit. Kuehn), salsamque linguam ita explicat, quia *καῦσος νόθος* ex pituita exoriatur. Hujus igitur loci *καῦσος*, sine dubio de febri biliosa inflammatoria, fortasse cum statu quodam pituitoso intelligendus erit (sunt enim febres biliosae, in quibus lingua non est flava), praecipue quum eodem loco simul epistaxeos mentionem injiciat *Hippocrates*, quae potissimum in febribus biliosis inflammatoriis et symptomatica occurrit, et critici quoque aliquid habere solet. Quadrat ad hanc propositionem etiam praeceptum *Hippocratis*, si vehementior evaserit morbus, roboreque homo et juventute floreat, venam esse secandam, quod iisdem sub conditionibus in febri quamquam biliosa indicari, quis est qui dubitet?

Non praetermittendum videtur hoc loco, quod *Sauvagesius* jure meritoque vituperat (Nosologia me-

thod. edit. Daniel. Tom. II. 2 de febribus continuis), antiquiores rei medicae scriptores, quia in febri biliosa inflammatoria sanguis initio detractus crusta coreacea alba detectus esset, inde putredinem hujusce febrium generis deduxisse, morbumque huncce, pro corrupto declaratum sub titulo febris putridae et synochi descripsisse. Ut in omni febri inflammatoria, sic etiam in biliosa, quod recte monet *Sauvagesius*, quodque jam *Hippocrates*, *Aretaeus*, *Alexand. Trallianus* suaserunt, venaesectionibus nihil praestantius est, quibus omissis omnia cathartica et emetica tantum abest, ut morbum debellent, ut adeo eum augeant.

Tali etiam in casu, si febris inflammatoria vehementissima, aetas juvenilis, tempestas et regio calida est nec ulla intestini inflammatio contradicit, potiones illae ac sorbitiones frigidae bene adhibentur, quod praeceptum Hippocraticum secuti nonnulli per aliquot dies, omnia alia alimenta interdicentes, solam aquam frigidam praebent. Diaetam hancce, quam vocant aqueam, in Hispania praecipue et Neapoli florere, auctor est *Burserius*. Etiam *Galenus* ait (Comment. ad Hippocrat. de rat. vict. in morb. acut. tom. XV. pag. 752. edit. Kuehne) neminem causo laborantem mortuum esse, cui opportuno tempore aquam frigidam dedisset. Excipit autem eos, qui pernicioso et mortifero (ὀλεθρίως καὶ ασώστως) causo afficiebantur. Etiam sorbitiones attractorias *Hippocrates* com-

mendat, quae tamen quales sint quum tacuerit *Hippocrates*, valde irascitur *Galenus*. Ad epithemata vero frigida ab *Hippocrate* laudata, an nostris quoque temporibus quisquam recurrat, sive adsit inflammatio viscerum, sive non, equidem dubitaverim.

Adjicit deinde *Hippocrates*: *ἢν πικρὸν τὸ στόμα γίγνηται, ἐμέειν ξυμφέρει καὶ τὴν κοιλίην ὑποκλύσαι καὶ ἢν πρὸς ταῦτα μὴ λύηται, γάλα ὄνου ἑψήσας κάθαρε.* Optima haec sunt praecepta *Hippocratis*, quorum nostris quoque semper adhuc temporibus valet auctoritas. Jure etiam repudiavit in morbis acutis purgantia calida et acria; eodem tamen jure an etiam salia in morbo nostro repudiaverit, in dubio adhuc relinquam. Lac vero asininum, ut remedium mite et suave, maximopere adamavit.

Liceat hanc causi speciem, quam allato loco *Hippocrates* proposuit, praeeunte Cl. *Berndt* (Fieberlehre tom. I. pag. 399) synocham bileosam graviorem nominare vel febrem bileosam inflammatoriam *Jos. Frankii* (Prax. med. tom. I.).

Mirum hoc tantum videri possit, quod in hoc causo *τὴν κοιλίην ὑπάγειν* *Hippocrates* dixerit. In causo enim inflammatorio nihil est, cur alvum fluxam esse quis contenderit, potiusque eam adstrictam aut certe non liquidam exspectaveris, quod jam *Sauvagesio* verisimile videbatur. In synocho quidem bilesso, alia causi specie, nemo mirabitur alvi dejectiones, neque in ipso causo inflammatorio decre-

scente, ubi ad criticas evacuationes referendae sunt ipsaque morbi decrementa indicant. Etiam in *Aretaei* descriptione multo saepius alvum esse adstrictam quam laxam legimus.

Alia hujus febris biliosae inflammatoriae species est, quae cum statu quodam irritato aut vere inflammatorio organorum abdominis et thoracis complicari solet. Et propter viciniam loci et propter functionum quandam similitudinem, quum et pulmones et hepar ad sanguinis circulationem maximi sint momenti, si unum morbose afficitur etiam alterum organon male sese habere videmus. Nihil igitur in febri biliosa inflammatoria frequentius occurrit, quam spirandi difficultates pectorisque dolores et oppressio. Sed etiam illi casus non sunt rariores, in quibus cum vera pleuritide vel pneumonia vel alia organorum abdominis inflammatione morbus noster complicatus est. Cl. *Berndt* hac sub voce „Auswüchse" intelligit.

Ad hanc speciem certe nonnulli pertinent loci *Hippocratis*, in quibus de pectoris doloribus, de anxietate circa cor, de spiritu calido, de respiratione anhelosa sermo est, eodemque pertinet, quod causus saepe in peripneumoniam transeat, phrenitidem et alios morbos acutos. Hic etiam sine dubio ille est causus *Galeni*, qui in pulmonibus sedem habet (Comment. ad Hippocrat. de vict. rat. in morb. acut. tom. XV. pag. 743 ed. Kuehne) et de quo ait: haemorrhagia

maxime iis febribus causodeis convenit, quibus sedes in pulmone est.

Quod vero pater noster in libro de morbis I. 3. contendit, transitum saepe fieri ex pleuritide in febrem ardentem, ex peripneumonia vero nunquam febrem ardentem fieri, equidem certe non video, cur non etiam peripneumonia in febrem ardentem transire possit, quamquam frequentius quidem est, febrem ardentem mutari in peripneumoniam, quam hancce in illam. Porro si in peripneumoniam mutatur febris ardens, secundum *Hippocratem* plerique prae debilitate praeeunt, quia, debiles quum jam sint, morbo alio novo superveniente dies transigere nequeant, donec sputum in pulmone concoquatur. Negare quidem non possumus, peripneumonia ad febrem ardentem accedente periculum valde augeri morbique vehementiam increscere: plerisque vero tum moriundum esse (si non jam antea genius epidemicus ita ferebat) quis est qui hodie subscribat?

In tali complicatione (etsi alio loco in omni febri ardente potiones frigefactorias secundum *Hippocratem* dandas esse supra jam memoravimus) jure potius aquam commendat bibendam de crassa farina et acetum album quam odoratissimum et ptisanae succum.

Ceterum quod in fine loci supra allati ait *Hippocrates*: „exspuet crassa, si sanus est futurus“ monet *Galenus*, hoc in iis tantum καύσοις observare licere, qui ex affecto pulmone oriantur.

Fortasse etiam, quanquam uno tantum loco, peripneumoniam quam vocamus bileosam, *Hippocrates* ob oculos habuit, quum illum scriberet locum *περὶ παθῶν* XI, quia certe sputa bileosa, quae ibi affert, vix alium ad morbum referri possint, et in febribus bileosis sive inflammatoriis sive alius characteris vix occurrere verisimile sit. Non tamen mihi arrogabo, quin hac de re certa quaedam statuam, quum multa desiderentur indicia, quae majorem ad certitudinem requirantur. Ultima denique causi species, quam *Hippocrates* describit quaeque plurimis haud dubie locis intelligitur, certe ea est, quam secundum nostri dicendi usum cum *Petr. Frankio* vocamus febrem bileosam typhodem et putridam. *Hippocrates* ipse hanc vocem *τυφώδης* alia significatione sumsit (de intern. affect., lib. II. 42—46) et praecipue quinque sub ea comprehendit morbos, quos et ipsos a bile per corpus commota et a febri forti et calore acuto (*καῦμα ὀξύ*) alvique dejectionibus grave olentibus stipatos esse dicit. Epidemia illa Hippocratica fuit atrox, qua correpti plerique periere et a qua imago supra proposita praecipue sumta est. Omnia mali ominis symptomata ibi aderant, urinae nigrae, turbidae; alvi aut retentio aut saepius dejectiones pessimae, sudores parvi circa frontem et claviculas, neutiquam universales nihilque allevantes, posterioribus diebus adeo subfrigidi, extrema pertinaciter frigentia neque amplius recalescentia, vigiliae soporibus permixtae,

deliria, crises raro tantum obviae, saepius tamen iniquae et inopportunae metastases. Quibus autem parotides enascebantur (tumores parotidis), crisis die vigesimo contigit, et quibus non suppurabant, tumores cessabant, materia vel ad alvum vel ad vesicam conversa. Nihilominus unus alterve, quibus illi suppuraverunt, periere. Febris universim post judicationem in completam frequenter recidiva. Curatio hujusce febris ardentis, quoad est bileosa, ab illa, quae in superioribus instituenda est, non multum discrepat, et nunc quoque nobis exemplo esse potest. Quoad autem fit typhodes, curatio, quam nos instituimus per nervina, excitantia etc., ab *Hippocrate* plane ignorari videtur.

Clarissimus *de Hildenbrand* (in libro suo egregio über den ansteckenden Typhus) in primi ex quinque illis morbis *Hippocratis* typhodibus dictis imagine, febrem quam dicit bileosam sinceram sive simplicem arbitratur describi. At doctissimus *Ochs* (artis medicae principia de curanda febri typhode) pro ipso καύσῳ hunc morbum sumendum putat. Illud quidem dubitaverim, quum ex morbi historia nimis periculosum et vehementem eum fuisse appareat, quam ut pro simplici febri bileosa haberi possit. Contra doctissimi *Ochs* sententia ad veritatem propius accedere mihi videtur, etsi mirari possumus, cur praetermissa voce καύσῳ sub voce τύφῳ huncce morbum delineaverit *Hippocrates*. Mirum tamen minus erit cogitanti-

bus, librum huncce de internis affectionibus non ad genuina *Hippocratis* scripta referendum esse (*Gruner*, censura librorum Hippocraticorum pag. 76 et *Hecker*, Geschichte der Medizin tom. I. pag. 120), et locus noster ipse hujus dicti veritatem affirmat. Descriptio potius egregie quadrat ad illam καύσου speciem, quam sub febris bileosae typhodis nomine nunc comprehendimus, tantaque ei cum καύσῳ, quem *Aretaeus* describit, intercedit similitudo, praecipue quoad signa mortem praeeuntia, ut unus alteri imitatus esse videatur.

Compositis hisce diversis causi speciebus, clarius nunc fiet, quid de prognosi sentiri jubeat *Hippocrates.* Generatim καῦσον vocat morbum ἐνδοίαστον igiturque prognosin dubiam statuendam censet; quam in sententiam nos quoque quin cedamus non possumus. Quaeque enim febris bileosa, quamvis sit simplicissima, quum quid accidere possit nemo praevidere valeat, semper prognosin requirit incertam. Attamen in febri bileosa inflammatoria semper ad bonam aliquid vergit, praecipue si genius epidemicus non adversatur, et *Hippocrates* ipse in libro I. Epid. affert epidemiam, qua neminem febri ardente mortuum esse vidit. Aliis vero locis omnes fere morbo correptos periisse tradit, quod ad eas epidemias pertinet, in quibus permagna malignitas (κακοήθης secundum *Galenum*) et character fuit typhodes. Secundum hasce καύσου varietates, etiam causa, ex qua

oritur, et aetas, quae corripitur, aliaque nonnulla differunt. In universum magis bileosos, interdum etiam pituitosos corripi, ait *Hippocrates*. Ex pituita posteriores auctores *καῦσον* spurium exoriri scripserunt; quae tamen divisio quum *Hippocrati* non statuatur, hoc respectu eum scripsisse non est verisimile. Sed quibus ad causum propter naturam suam bileosam proclivitas est, eorum in universum etiam tunicae mucosae male sunt affectae statumque facile quem vocamus pituitosum inducere solent. Tota igitur differentia ad temperamentum cholericum et phlegmaticum referenda est, quorum quidem illud ad febres bileosas hocce plus inclinat. In Aphorismis (III. 30) *Hippocrates* ait, iis qui hanc aetatem excesserunt (de *νεανίσκοις* antea locutus est), facile pleuritides, peripneumonias, *καύσους*, choleras, dysenterias exoriri, quum juvenibus (*νεανίσκοις*) facilius haemoptyses, phthises, febres acutae, epilepsiae gignantur et in loco alio (de aëribus, aquis, locis), si, inquit, aestas pluviosa fit et austro multum perflatur, similisque sequitur autumnus, necesse est hyemem morbidam esse, et his, qui pituita abundant, et annum quadragesimum jam excesserunt, febres ardentes fieri verisimile est. Cui loco si comparas tum locos supra allatos tum Aphorism. III. 21. inde concludere poteris, *Hippocratem* praecipue aestatem ad febres ardentes gignendas aptam habuisse, quod nemo certe ei repugnabit, quum satis constet, hancce anni partem, praecipue si nimis

sit sicca et arida, cum morbis hepatis tum febribus bileosis mirum quantum favere. Quod vero *Hippocrates* contendit, iis, qui annum quadragesimum jam superarunt, pleuritides, peripneumonias, causos facilius oriri, neminem quidem fugit, aetatem virilem propter majorem humorum ad abdomen congestionem plethoramque, quae vocatur, abdominalem, ad morbos abdominis, praecipue chronicos turbationesque bileosas procliviores esse. Non tamen video, cur pleuritides, peripneumoniae et *καῦσοι* (sub quibus sine dubio hoc loco species inflammatoriae intelligendae sunt), saepius iis occurrant, quum e contrario quotidie fit, ut ad morbos illos, quos ipse vocat acutos, pleuritides, peripneumonias, causos illa praecipue inclinet aetas, in qua organa praecipue pectoris et systema sanguiferum facillime turbantur, igitur homines viginti, triginta annorum. Recte igitur *Galenus* addit (Comment. ad Aphor. tom. XVII. B. pag. 646 ed. Kuehne), phrenitides et ardentes febres et choleras et dysenterias nihilominus juvenibus quam aetate provectis accidere, sortitas ex flava bile originem.

Paucis adhuc attingere liceat, quod *Hippocrates* Aphorism. IV. 58 ait: *ὑπὸ καύσου ἐχομένῳ ἐπιγενομένου ῥίγεος, λύσις·* *Galenus* (Comment. in Aph. edit. Kühn. XVII. pag. 736) hoc ita explicat, quia etiam ob flavam bilem, quae per sentientia corpora ocius feratur, rigor fiat, quamobrem et alvi solvantur et sudores et vomitus bileosi superveniant. Expurgata igitur bile

febris ardentis causa efficiente fieri febris solutionem. Equidem tamen facilius magisque ad sensum *Hippocratis* ex scriptis ipsius locum huncce explicari posse arbitror. Nempe supra typum febris ardentis tertianum continuo-remittentem statuendum esse vidimus, sed ita se habentem (ut ait *Burserius*) ut in quavis accessione neque horror vel rigor antecedat neque sudor subsequatur. Cogitantes vero illud *Hippocratis*: „febres continuae, quomodo intermiserint, periculum abesse indicant" per huncce rigorem ad febres accedentem nihil aliud significari putabimus, nisi typum febris intermittentem magis nunc exsplendescere febremque nunc propius ad naturam intermittentium accedere; quod si fit, omne periculum abesse *Hippocrates* persuasum habet. Haec tamen *Hippocratis* sententia utrum nostris quoque doctrinis conveniat, in dubio adhuc relinquam, ut omni in his rebus experientia destitutus.

Serie nunc de morbo nostro sequitur *Aretaeus Cappadox*, quem ante *Galenum* vixisse *Sprengelii* (pragmatische Geschichte der Heilkunde II. pag. 75.) et *Heckeri* (Geschichte der Medezin Tom. I.) argumentis satis est evictum. Pneumaticorum quidem scholae, quanquam laxius tantum addictus, *Hippocrati* tam feliciter imitatus est, ut alterius *Hippocratis* nomine dignus haberetur. Quippe qui, ut vix quisquam alius, ad naturam morborum imagines nobis depinxit, summa cum industria naturam contemplatus patrique

medicinae in morborum exploratione et curatione vix secundus. Eo ordine, eo judicio, ita distincte pleneque tradidit curandi rationes, ut vix quidquam in hoc genere ex summi scriptoris manibus excesserit absolutius. (*Wigang*. praefat. ad Aretae. in collect. *Hallerian.* pag. 61.). Praesertim epilepsiam, tetanum, causum aliosque morbos dubito anquis diligentius eleganliusque simul descripserit.

Nos hoc loco tantum attingit causi descriptio, quam in libr. II. cap. 4. de causis et signis morborum nobis tradidit, quae longior sane est quam quae hoc loco apponatur. Accuratius etiam *Hippocrate* nec minus eleganter morbum depinxit, quem illi, cujus sub nomine καῦμα apud *Hippocratem* mentis fit (de intern. affectionib. lib. II. 42.), simillimum esse jam supra elocuti sumus. Sed multo vivacior est imago, quam *Aretaeus* hoc de morbo nobis depinxit, cujus progressum exitumque funestum non sine ornatu quodam poëtico ob oculos ponit, multo major symptomatum copia, quae distincte pleneque tradidit. Et de pulsu, de quo apud *Hippocratem* in tot illis locis, in quibus de morbo nostro agitur, nihil plane legimus, *Aretaeus* tam bene disseruit, ut vix melius quisquam. Ceterum vix fore puto qui dubitent, sub morbo praesente febrem bileosam typhodem intelligendam, quod supra jam commemoravimus etiamque *Ochsio* (l. c. pag. 196.) probari legimus. Insomnietas, oblivio, deliria, διάνοια λεπτή, lingua nigra et ce-

tera symptomata characterem febris typhodem satis declarare videntur. Ceterum mirum fortasse videbitur, quod quum initio morbi mentem delirare omniaque ignorare dicat *Aretaeus* (γνώμη παράφορος καὶ πάντων ἀγνωσίη), sub finem morbi quum haud procul absit mors, dicere possit: Ψυχῆς κατάστασις, αἴσθησις σύμπασα καθαρή, διάνοια λέπτη, γνώμη μαντική, et quae alia ad divinationem morientium pertinent. Sed Celeb. *Halford* (aus dem Englischen mitgetheilt von Dr. *Hildebrand* in *v. Graefe's* Journal Tom. XVIII. p. 158.), quomodo res sit explicanda, optime demonstravit. *Aretaeus* quidem revera persuasum habere videtur, tales aegrotos morti jam propinquos revera futura praevidere et veracissimos vates fieri (μαντίει ἀτρεκέες), quippe quorum animus, quum antea in lutulentis quasi humoribus et caligine demersus esset, nunc autem sordibus exutus vinculisque quasi solutus, liberiorem quodammodo et novam intraret vitam. Vix tamen talem ad superstitionem recurrendum censet *Halford*, saepiusque talem ingenii aciem sub finem vitae occurrere, et sua et aliorum experientia edoctus affirmat, praecipue vero ubi morbus aderat, qui animi mentisque vires valde afficeret, ubi libidines cupiditatesque vigente adhuc vita inexplebiles, per mortem appropinquantem compescuntur, et longa vita, multum experta, recapitulari quasi anteacta et ex praegressis futura perspicere studet. Haecce ultima quasi animi effervescentia semper fere mortis est prodro-

mus. Quo spectat etiam illud *Jos. Frankii* dictum (prax. medic. praecept. tom. I. part. I. pag. 130.), in febribus typhodibus sub finem vitae animi praesentiam saepe recuperari. Talia exempla apud omnium temporum et populorum scriptores occurrunt, originemque inde duxit opinio et veteribus usitata et ad nostra quoque tempora servata, ultimis vitae horis vim divinam et artem vaticinandi inesse.

Desideratur igitur apud *Aretaeum* omnis καύσου divisio, qualem *Galenus* serioresque scriptores nobis exhibent. De curandi ratione quam *Aretaeus* adhibuit, nihil fere adjiciendum, quam patris medicinae vestigia presse eum secutum esse eandemque praecipue victus rationi sanguinisque missioni tribuisse auctoritatem. Nec minoris momenti habet auram mundam ad inspirandumque frigidiorem, animi hilaritatem jucundo et suavi plantarum, picturae al. usu amicorumque sermonibus jocularibus et hilaribus augendam.

Cornelius Celsus praeter locum, ubi aphorismum *Hippocratis* supra allatum latine transtulit, de causi natura et pathologia nihil habet, nonnulla vero de curatione in libro III. cap. 9. ubi *Hippocratem* secutus, eadem atque ille proponit remedia easdemque indicationes. Nec minus apud *Cael. Aurelianum* (de morb. acut. cap. 31. collect. *Haller.*) hic tantum lo-

cus existit de morbo nostro: emergit (scil. passio cardiaca) autem frequentius quinta vel sexta die in febribus continuis vel ardentibus atque inflammatoriis.

Plura scribere nobis propositum fuit et ad *Galeni* et ad aliorum de morbo nostro libros pertinentia. Sed contra spem quum nimis jam in longum protractum sit opus, porro quum quae *Galenus* praecipue de morbo nostro habet, nimis sint multa et tantopere inter se mixta, ut adeo incongrua sint et in consensum et harmoniam redigere difficiliora, quam quae libelli terminis circumscribi possint, in universum tantum de *Galeni* et *Alexandri* doctrina pauca referre cumque *Hippocratica* descriptione comparare licebit. Jam supra commemoravimus, *Hippocratem* etsi interdum de duabus causi speciebus loquatur, tamen non tam accurate inter eas distinguere quam *Galenum*. Hicce primus pro signis pathognomonicis causi declaravit sitim inexstinguibilem ardoremque urentem, et causum statuit verum, γνήσιον καὶ ἀκριβῆ et spurium sive nothum, quorum priorem a flava bile, alterum a pituita oriri putat, et alio in loco in una, inquit, corporis parte, quaecunque illa sit, ut in ventriculo pulmone, intestino jejuno, interdum causus gignitur, interdum toto in corpore (Comment. ad *Hippoc.* de rat. vict. in morb. acut. tom. XV. pag. 737. ed. *Kühn*). Interdum tertianam intermittentem causum nominat (*Sennert.* de febribus lib. II. cap. 12.), interdum vero tertianam a febri ardente distinguit.

VITAE CURRICULUM.

Natus sum ego *Joannes Fridericus Lange* cum fratre gemello anno MDCCCXII die octavo mensis Septembris Postampii, patre *Joanne*, mactatore et matre e gente *Weberiana*, quos utrosque parentes Dei gratia adhuc viventes ad cineres usque et summa cum pietate venerari nunquam obliviscar. Institutus sum ad doctrinas confessionis evangelicae. In schola inferioris ordinis primis litterarum elementis imbutus anno MDCCCXXII mense Aprili gymnasium urbis patriae adii et ad annum usque MDCCCXXXI ibi sum moratus. Huic gymnasio quanta debeam, lingua non valet exprimere; sed memoriam et gratiam eorum animo servabo et revocabo semper. Floruit tum gymnasium sub directore clementissimo et liberalissimo *Buettner*, qui quanto amore et quanta familiaritate discipulos amplexus sit neminem

eorum fugiet. Postea gymnasium curae et auspiciis Viri doctissimi et clarissimi Directoris et Doctoris *Blume* commissum, quem ad summum celebritatis fastigium gymnasium adduxisse, satis notum est. Is praecipue egregiis me circumstrinxit beneficiis, et quanta mihi praestiterit testimonia humanitatis et liberalitatis, quanquam remunerari nequeam, tamen, ne ingratus videar, quin commemorem non possum. Etiam ceteri juvenis praeceptores, Conrector *Schmidt*, Subrector *Helmholtz*, Magister superior *Reimnitz* ceterique, qui ad optima quaeque et praeclara animum puerilem instituerunt et veterum studio fructifero imbuerunt, ut pro diligentia et opera mihi tributa hasce animi grati effusiones sumant, oro rogoque. Anno MDCCCXXXI testimonio maturitatis donatus inter cives instituti medico-chirurgici Friderico-Guilelmi receptus sum ibique quatuor annos moratus hasce ad studium medicinae et chirurgiae pertinentes audivi praelectiones: Cel. *Wolff* senioris de hodegetice, logice et psychologia, Ill. *Link* de historia naturali, botanice et toxicologia, Cel. *Turte* de physice, chemia et pharmacia, Beat. *Hermbstaedt* de chemia et pharmacia, Beat. *Rudolphi* de osteologia, anatomia universa, anatomia foetus humani et organorum sensuum, de methodologia medicinae atque encyclopaedia, de physiologia, Ill. *Schlemm* de splanchnologia et syndesmologia. In arte cadavera rite dissecandi me instituit Ill. *Schlemm*. Legentes praeterea audivi Cel. *Eck* de physiologia

et generali et speciali, Ill. *Fr. Hufeland* de pathologia generali, semiotice, therapia tam generali quam speciali, Ill. *Horn* de pathologia speciali et de morbis psychicis et syphiliticis, Ill. *Osann* de materia medica et de auxilio in repentinis vitae periculis praestando, Cel. *Casper* de arte formulas medicas concinnandi et de medicina forensi; Ill. *Kluge* de arte fascias rite apponendi, de arte obstetricia, de chirurgia generali, de ossium fracturis et luxationibus, de akiurgia, Ill. *Juengken* de akiurgia, de chirurgia speciali et de ophthalmiatrice, Ill. *Hecker* de Celsi libris atque Burserii institutionibus, Cel. *Froriep* de anatomia chirurgica. Exercitationibus clinicis et medicis et chirurgicis et obstetriciis et ophthalmiatricis et medico-forensibus interfui Ill. et Cel. Virorum *Bartels*, *Wolff* jun., *Barez*, *Rust*, *Dieffenbach*, *de Graefe*, *Kluge*, *Jüngken* et *Wagner*.

Ex re veterinaria scholas audivi Cel. *Gurlt* de zootomia, Cel. *Reckleben* de epizootiis et zoodiaeta, Cel. *Naumann* de equorum forma externa et habitu et clinicum frequentavi veterinarium Cel. *Hertwig*. Omnibus hisce viris doctissimis et humanissimis intimo ex animo gratias agere, dulce mihi est et debitum.

Studio quadriennii transacto ex initio mensis Octobris anni praeterlapsi in nosocomio Caritatis officio medico-chirurgi inferioris fungor. Restat nunc ut tentaminibus tum philosophico quam medico et examine rigoroso superatis dissertationeque et thesibus rite defen-

sis summi in medicina et chirurgia honores mihi tribuantur, quod fore non est quod dubitem.

THESES.

1. *Febris catarrhalis, si ad respiratoria tantum organa refertur, falso dicitur.*
2. *Calomel in gastroenteritide nullam aliam vim habere potest nisi evacuantem.*
3. *Aegophonia Laennecii signum aut nunquam aut rarissime tantum obvium.*
4. *Praeter hypertrophiam et dilatationem cordis vix alius ejus morbus satis certo dignosci potest.*
5. *In vera gastroenteritide omnes sanguinis detractiones damnum afferunt.*
6. *Amputatio in pseudarthrosibus rejicienda.*
7. *Scrophulosis et rhachitis eodem ex fonte oriuntur ejusdemque sunt naturae.*